



502.

11



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA

QVA

CASVS OPPIDO RARVS

# SARCOMATIS

E PVDENDO MVLIBRI SECTIONE SVBLATI

## HISTORIAM

CONTINENS

PRÆSIDE

# ABRAHAMO VATERO

PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL.

ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT. VT ET SOCIET.

IMPER. NAT. CVR. ET REG. BRITANN.

SODALI

## PRO GRADV DOCTORIS

MORE MAIORVM OBTINENDO

D. MART. M DCC XXVIII.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM EXPONITVR

a

## IOH. DANIELE BEHRENSIO

TORGAVIENSI

MEDIC. PRACT.



Wittenberg


Apud VIDVAM GERDESIAM.



## EXPLICATIO FIGVRAE

*Repraesentatur hac Figura Sarcoma insigne, ex vagina uteri, praemissa ligatura, resectum.*

- A. Torum Sarcoma, a parte postica uisum.
- B. Collum tenuius, duorum digitorum transuersorum crassum, ubi resectio facta.
- C. Corpus rotundum musculosum, e tumore prominens, uteri inuersi, ut fundus inferius, collum superius situm uideatur, figuram quodammodo referens.
- D. Sectio per medium eius facta, ut interior substantia, quae tota ex fibris carnosis orbicularibus, cum intermixtis copiosis uasorum sanguiferorum dissectorum orificiis, componitur, oculis exponatur.
- E. Pars reliqua Sarcomatis mollior, ac quasi lobosa, uaginae uterinae substantiam referens, corpus musculosum sustinens.
- F. Sinus inter corpus musculosum et reliquam Sarcomatis partem.
- G. Sulcus in corpore musculoso obuius.





PERILLVSTRI  
EXCELLENTISSIMOQVE DOMINO

DOMINO  
GOTTLOB  
HIERONYMO  
DE LEIPZIGER

DYNASTAE IN HEYDE ET  
KNATEWITZ  
POTENTISSIMI POLON. REGIS  
ET ELECTORIS SAXONIAE  
MINISTRO STATVS INTIMO  
SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS  
PRAESIDI EMINENTISSIMO  
*DOMINO ET MAECENATI*  
*MEO GRATIOSISSIMO*  
SALVTEM, ET PERPETVAM FELICITATEM!

PERILLVSTRI  
EXCELLENTISSIMO  
DOMINO  
GOTTLIB  
CHERONYMO  
DE LEIPZIGER  
DYNASTIA IN HEYDE ET  
KATHEWITZ  
POTENTISSIMI POLON REGIS  
TYOT ELECTORIS SAXONIAE  
MINISTRO STATVS INTIMO  
PRAESIDI EMINENTISSIMO  
DOMINO ET MACEFANATI  
MEO GRATIOSISSIMO





PERILLVSTRIS ATQVE  
EXCELLENTISSIME DOMINE

**Q**uo maiora atque luculentiora, DOMINE  
PERILLVSTRIS, MAECENAS GRA-  
TIOSISSIME, gratiae TVAE ac mu-  
nificentiae in me meaque studia fuerunt do-  
cumenta; eo maiori animi ueneratione PER-  
ILLVSTRE NOMEN TVVM non solum  
semper profecutus sum, sed eo etiam enixius  
in eo mihi elaborandum esse duxi, ne magno  
TVO patrocínio me indignum praestem, aut  
ingrati animi crimen incurram. Ut igitur pi-  
um gratumque animum publice testatum faci-  
am, nullus dubitavi, quin PERILLVSTRI  
NOMINI TVO hoc quaecunque academi-  
cum specimen offerrem atque inscriberem.  
Spero non solum, sed et confido, fore ut,  
hanc meam audaciam, ad quam singularis  
TVA, PERILLVSTRIS DOMINE, gratia, nec

non admiranda humanitas me prouocarunt,  
non in malam partem sis interpretaturus.  
Hoc est, quod abs TE, PERILLVSTRIS DOMI-  
NE, omni, qua decet, animi summissione pe-  
to atque contendo, ut et in posterum TVO  
patrocinio me dignari uelis. Ad me quod at-  
tinet, summum, quod dirigit omnia, NVMEN,  
indefessis defatigabo precibus, ut TE, cum  
tota TVA PERILLVSTRI FAMILIA ad-  
feros usque posteros saluum atque incolumem  
seruet, quo tota, quam late patet, Saxonia de  
saluberrimis TVIS consiliis, diu multumque  
sibi gratulari possit.

PERILLVSTRIS  
EXCELLENTISSIMIQVE NOMINIS  
TVI

Vitembergae X. Cal. April  
1633

HVMILLIMVS CVLTOR

IOHANN DANIEL BEHRENS.



Q. D. B. V.



terus foemininus, uti tum ob  
structurae elegantiam, tum  
ob officii praestantiam, si-  
quidem officinam genera-  
tionis ac formationis foetus  
constituit, merito inter  
praecipua sexus sequioris organa refertur: ita si  
myriades morborum ex ipso oriundorum, ac  
miserrimas foeminas immaniter excruciantium  
consideramus, non iniurius in ipsum quis erit, si  
sentinam corporis perniciosissimam ac lernam  
innumerabilium malorum eundem dixerit.  
Hunc equidem in passionibus ita dictis hysteri-  
cis, modo ascendere, modo descendere, nunc  
intra fauces irruere, nunc iterum in abdomen  
deuolui, aut per uniuersum corpus discurrere  
et oberrare, cum mulierculis, sensu globi ex  
abdomine uersus fauces ascendentis, deceptis,

A 3

mini-

minime credendum est. Consensus enim cum omnibus uisceribus internis, ac cum toto corpore omnium istorum symptomatum atque innumerarum praeterea aegritudinum hinc inde superuenientium causa est, adeo, ut, censente *Casp. a Reies in Camp. Elysiuc. Qu. XLVI.* nullus fere sit morbus, qui a conspurcatissimo uteri fonte, uti idem loquitur, dimanare non possit, idemque propterea minera malorum merito sit appellandus. Dudum iam e foro Medico profligata est fabula, qua ueteres sensum, appetitum motumque animalem utero tribuerunt, ut idem odoriferis gratis, naribus applicatis, uersus fauces allici, a graeolentibus uero et foetidis repelli, in fugam uerti, et ad pristinum locum occupandum cogi posset. Sat ablone propterea a *Roderico a Castro de Morbis Mulierum L. II. Cap. XVI. p. 266.* ad uterum prolapsum repellendum commendatur, ut cauterium actuale ignitum manu ostendat Medicus aut obstetrix, ac simulet partem se tangere uelle, uel si mulier timidiuscula sit, uiui mures filo ligati cruribus repente submittantur, ita enim naturam retrahi, et cum ea uterum, aut quamcunque aliam partem prolapsam. Quamuis uero uterus proprio nisu nullatenus se mouere, aut e loco suo discedere queat, idem tamen a  
uariis

uariis iniuriis e sede sua turbari ac ad inferiora propelli aut trahi potest, ita, ut non raro una cum uagina sua euerfa sinum pudoris ingrediat. Sed non omnem tumorem e uagina prodeuntem, ad uteri prolapsum referendum esse, e sequentibus paginis palam fiet, quibus casum rarissimum, et ob plurimas circumstantias curiosissimum, Sarcomatis insignis, prolapsum uteri mentientis, sectione sublata historiam continentem, in praesenti Lectori exponimus.

## CASVS.

**F**oemina XLVIII. annorum, septem liberorum mater, ac ante septem annos ultimum puerpera, a tribus annis, haemorrhagia uteri laborare coepit. Illa sumptibus necessariis destituta, malo huic nihil, praeter remedia domestica, opposuit, ac praeterea laboribus durioribus gestationibusque ponderum, unde haud dubie affectum hunc primum contraxerat, indulgit. Factum ita est, ut fluxus hic molestus frequentius rediret, indiesque augetetur, et quandoque aliquot librae sanguinis fluidi et grumosi unica uice confertim effunderentur. Elapsis, inter copiosas sanguinis profusiones, duobus circiter annis, illa tumorem intra uaginam percepit, qui sensim auctus totum sinum pudoris reple-

repleuit, tandemque e pudendo protuberavit, et premendo uesicae collum et intestinum re-ctum, obstructionem alui, urinaeque difficultatem, cum grauissimis lumborum doloribus excitauit, nec tamen ulla ratione ab illa repelli potuit. Quid sit? Foemina sibi consulere nesciens, nemine ob pudicitiam intempestiuam in consilium uocato, pro ea, qua pollet, animi fortitudine, ne dicam audacia, cultrum arripit, partemque tumoris prominentem pugni magnitudine refecat, mira opportunitate, quia ob corruptionem, nulla inde secuta haemorrhagia. Hoc autem facto, pressio dolorosa non remittit, uti sperauerat, potius augetur, et accedentibus conatibus, parturientium similibus, postridie inter excretionem aluinam, subito prorumpit massa, capitis magnitudinem excedens, insigni foetore, quia semiputrida fuit, et pondere ac tractione ad inferiora, molesta. Urgebat praeterea urinae suppressio, quam, non nisi digitis sub pube intrusis, reddere potuit, ab hac etiam super tumorem defluente ardor insignis excitabatur, et inflammatio in tumore augebatur, adeo, ut totum pudendum sub eodem crescente absconderetur. Inj tantis angustiis constituta nostra, necessitate cogente, demum a Chirurgo auxilium petit. Hic statim epithematibus inflam-

inflammationi et putredini resistentibus curam aggredditur, quibus per aliquot dies usurpatis rem eo redegit, ut tumor quodammodo detumesceret, ac sinus pudoris, antea sub eodem latens, conspici posset. Nunc etiam patuit, totam illam massam a collo tenuiori, coloris albicantis, duorum digitorum crasso, e uagina suspendi. Sinus autem pudoris adeo arctus ac intus repletus fuit, ut digitis circa ceruicem tumoris ductis ac intrusis, nullus intra uaginam daretur aditus, nemoque aliter existimare posset, quam uterum una cum uagina inuersa elapsum esse. Cum ergo nulla repositionis spes superstes esset, nihil fuit reliquum, quam ut tumor semiputridus ac gangraenae proximus, tractione ac foetore insigni molestus, sectione tolleretur, quam tamen Chirurgus, grauitatem negotii pensitans, proprio ausu suscipere noluit, meque propterea in consilium adhibuit. Posteaquam omnes circumstantias mecum reputassem, tumoris magnitudinem, aegraeque statum, quae, praeter praegressam sanguinis iacturam, in praesenti a calore praeternaturali, inquietudine ac uigiliis uiribus penitus exhausta uidebatur, ob metum haemorrhagiae timendae, sectionem primum disuasi, ne forte finis rei euentus, ac obitus foeminae, morti, uti apparebat, alias proximae, curae tribueretur.

B

Nihilo

Nihilo tamen secius, tumore ad sphacelationem properante, ob quam femoribus contactu maculas nigras impresserat, aegrae, liberationem anxie efflagitanti, ac nisi cito auxilium feratur, resectionem propriis manibus peragendam minanti, morem gessimus, quia in casu ancipiti, anceps potius, quam nullum remedium adhibendum fuit. Quamobrem, foemina ad omnem euentum praeparata, sine temporis iactura ad sectionem accessimus, et traiecta per ceruicem acu, filo incerato instructa, ligamentum iniicimus, posteaque sub ligatura tumorem abscidimus. Euentus uoto respondit, et operatio ex animi sententia peracta fuit, nulla inde haemorrhagia uel alio symptomate insequente. Foeminam postea in lecto quiete repositam, medicamentis internis cordialibus, exterius epithematibus, inflammationi et putredini oppositis munuimus. Vagina uteri, antea ad exteriora tracta, cum ligamento applicato paulatim in locum pristinum recessit, ut nunc digitos sine negotio intra pudendum immittere, nec tamen finem attingere liceret, manifesto indicio, tumorem e suprema uaginae regione descendisse. Praeterlapsa ita una alteraue septimana, aegra sensim ad se rediit, uiresque amissas recuperauit, lentoque gradu incedere coepit. Remansit  
nihil-



nihilofecius intus dolor prefforius, tumorque pedum oedematosus, antehac iam praefens, indies incrementa sumpfit, nec adhibitis remediis anticachecticis cessit, accedente insuper per interualla haemorrhagia copiosa, hydrops perfectus imminere uisus est. At quid fit? elapso fere dimidio anno, foemina in uagina quicquam pressione molestum percipit, quod digitis intrusis extractum, uinculum applicatum, maturatio-  
ne paulatim liberatum, esse cognouit, nobisque exhibuit. Ab illo tempore tota rerum facies mutata est, foemina nunc optime ualet, in praesenti obstetricis munus Coswici suscepit, de nullo accidente amplius conqueritur, saltem quod pallor faciei de morbi superati magnitudine testetur. Notatu dignissimum autem in primis est, illam, aetate satis prouectam, post tot tamque largas sanguinis profusiones, fluxum mensium regularem modicumque nunc experiri.

## THES. I.

**H**abes ita, Lector beneuole, historiam Sarcomatis e pudendo muliebri feliciter ex feci. Accedo nunc ad descriptionem ipsius tumoris, ut patefcat, ad quodnam genus idem referri debeat. Eo consilio totam molem nobiscum abstulimus, ut eam domi accurate per-

*Sarcomatis  
abscissi de-  
lineatio.*

lustrare possemus. In latere anteriori, quod oculis ante resectionem patebat, ob corruptionem nihil distincti uidere licuit, referebat enim rudem atque deformem massam. Sed tumore inuerso, ut facies posterior, antea uisum fugiens, luci exponeretur, in admirationem coniecti fuimus, cum uideremus, e medio ipsius prominere corpus oblonge rotundum, substantiae a reliquo tumore diuersae ac musculosae, uteri inuerso ordine elapsi figuram haud obscure exhibens, uti ex icone in fronte huius dissertationis posita patet. Inferius enim rotunditate cum fundo uteri conuenit, superius uero attenuatur, ac in collum angustius, substantiae albicantis ac tendineae terminatur, unde suspensa fuit tota moles, et quo loco resecta fuit, quod collum uteri quodammodo repraesentat. Admiratio nostra non parum aucta fuit, ubi, sectione in corpus illud musculosum iuxta longitudinem facta, interiora eius lustrauimus. Constat quippe idem ex fibris carnosis orbicularibus, ac, quod praeprimis attentionem meretur, per totam substantiam hiant orificia uasorum sanguiferorum dissectorum copiosissima, qualis est uteri transuersae secti facies. Adhibita tamen omni diligentia, nihil ouariis aut Tubis Fallopiianis simile detegere potuimus, imo sectione repetita, eandem

dem ubiuis texturam internam, nullam uero intus cavitatem inuenimus. Reperitur autem a latere corporis musculosi insignis cavitatis seu sinus oblongus et profundus, istud a reliqua tumoris parte seiungens. Residua Sarcomatis substantia, corpus musculosum ambiens et sustinens, ab hoc plane diuersa, consistentiae laxioris, mollioris, ac lobos et rugas monstrans, ut aliter iudicari non possit, quam eandem esse uaginae rugosae portionem. Ponderis totius molis, expurgatis omnibus impuritatibus, est duarum librarum. Tandem etiam sciendum, Sarcoma, multo minori, quam naturali, magnitudine in figura exhiberi.

## THES. II.

**A**ntequam ad indagationem naturae atque originis sarcomatis huius, ac ad considerationem singularium in casu praesente concurrentium circumstantiarum nos accingamus, monendum est, admodum magnam esse uarietatem tumorum, e pudendo muliebri enatorum, tum ratione loci, ubi excresecunt, tum ratione consistentiae, magnitudinis, causarum, aliarumque conditionum. Ita pudendum externum, inprimis labia intumescunt ab inflammatione, oedemate, uel etiam abscessu, aut ubi in hernia inguinali intestina per processum uaginalem

*Tumorum e pudendo muliebri enatorum uarietas.*

*In pudendo externo labiis, clitoride, et Nymphis orti.*

peritonei intra eadem elabuntur. Praeterea ex cute labiorum aequae ac montis ueneris, eadem superius coniungentis, nascuntur tumores, exiguo principio, sub forma verrucarum, in enormem quandoque molem excrescentes. *Adnascitur interdum inquit Seuerinus Med. Effic. p. 19. alis pudendi muliebris tuberculum, principio pusillum, deinde magnis incrementis augetur, molle, concolor, contrectatu modisque ferme omnibus indolens. Scorto propendebat in labio pudendi minoris pineae magnitudine tuberculum, basi minore, quam altero extremo pendulum, quod uno iam anno sic ex paruo intumuerat. Constrictum uinculo die uno ac tantum non stupefactum, postridie refecui, cute circumplexum crassissima, plus media digiti latitudine. Tuber scirrhosum excidit Marchettis, cucurbitae magnitudine, quod superius osi pubis adhaerens, utrumque pudendi latus, rimamque ipsam uelabat, pustulis scatens malignis, ad radicem exulceratum, uti testatur Bonet. Mercur. Compital. L. XVIII. p. 737. Enormis istiusmodi tumor pondere XII. libras superans e labio dextre mulieris resectus, describitur in dissertatione, sub Praef. Parentis An. MDCXIII. habita, qua Historia et Cura Sarcomatis monstrosi et cancrofi exhibetur. Praeter hos tumores ex labiis protuberantes, ex ipso*  
pudo-

pudoris finu externo, Clitoris atque Nymphae intumescences et elongatae exteriora uersus propendent, adeo, ut interdum **Sectione** remoueri debeant. Omnes tamen haecenus enumerati tumores cum nostro Sarcomate nihil commune habent, utpote quod non e pudendo externo sed ex ipsa uagina in lucem prodiit.

THESES. III.

**E** uaginae uteri cavitae egressi tumores tamen non unius eiusdemque generis sunt, sed admodum diuersi, quamuis ueteribus nomine prolapsus uteri ueniant. Vagina ipsa uteri, uti est canalis oblongus, a finu pudoris ad orificium uteri internum usque, intestini tenuis instar, expansus, ita illa aequae, ac intestinum reatum, inuersione duplicata pudendum non raro egreditur, et tumores insignes exterius propendentes efformat. Firmiter quidem illa connectitur anteriori collo uesicae urinariae, posteriori intestino recto ac superius orificio uteri interno, ut ista uix loco moueri posse uideatur; nihilo tamen secius, utut longitudo eius naturalis non excedat sex uel septem digitos transuersos sine distractione, fibrae tamen illius relaxatae adeo elongari possunt, ut illa prolapsa quandoque ad genua usque propendeat. Facit huc praeprius substantia ipsius membranosa et muscolosa,

*E uaginae propullulantes.*

*Vaginae ipsius inuersione prolapsus.*

ac

ac inferius rugosa, ob quam tantae distensionis, tum in latitudine, pro transmittendo foetu in partu, tum in longitudine, in prolapsu, apta est. Sed nunc oritur quaestio, utrum uterus, uaginae iuxta orificium firmissime connexus, semper et necessario simul extrahatur, an uero prolapsus uaginae fieri queat, utero in loco suo naturali permanente? De prolapsu uteri ipsius, tantopere controuerso, in sequenti Thesi dispiciemus, nunc saltem quaeritur: utrum semper una cum uagina excidente e corpore extrahatur? Monendum autem ante omnia, distingui debere prolapsum uerum uaginae a tumoribus praeternaturalibus, in uagina e tunica interiori uel rugis ipsis intumescantibus enatis, qui non raro insipientibus imposuerunt, ut illos prolapsum uaginae uel uteri ipsius crediderint, de quibus in subsequens pluribus agemus. Praeterea non semper tota uagina inuertitur ac prolabitur, sed tantum portio eiusdem siue inferior, siue etiam in uno tantum latere, quo casu non absolute necessarium esse iudico, ut uterus simul exeat. Vbi uero tota uagina inuertitur et ad exteriora elabatur, fieri certe non potest, quam ut collum uteri, huic firmissime alligatum ad inferiora rapiatur, fundus uero libere in pelui fluctuans, tanquam pars magis mobilis, sequatur.

tur. Neque tamen semper uterum simul extra pudendum egredi, nisi prolapsus nimis enormis sit, sed, uagina licet prolapsa, intra pubem subsistere, suadet non tantum ratio, sed et exemplum foeminae a *Pechlino L. 1. Obs. XX.* adductum, quae uehementi et uasta uaginae proci-dentia laborans, remedium optimum in grauiditate inuenit, cum qua ipsa lente tumor retractus fuit, mox iterum ad partum rediturus. Idque tanto magis contingit, quando obstaculum quoddam egressum uteri impedit, uti testatur casus in *dissertat. de Grauiditate apparente* a me expositus, ubi tumor ouarii enormis impedimento fuit, quo minus uterus a uagina prolapsa intra pubem protractus, longius egredi posset, uti sufficienter testabatur orificii interni intumescencia collique elongatio, tractione uaginae ac resistantia tumoris ouarii inducta. Obseruatur quidem in apice tumoris uaginae prolapsae hiatus, qui tamen non semper est orificium uteri internum, sed sinus ab ipsa uagina inuersa, duplicato egrediente, efformatus. Nec longitudo tumoris euincit, uterum necessario simul elapsum esse, quia uaginae substantia fibrosa et rugosa, tensione ac ab humoribus intus stagnantibus relaxata, insigniter extendi potest, uti apparet ex intestini recti prolapsu, quod, testantibus obseruationibus Auctorum, aliquot spi-

C

tha.

thamarum, ad ulnae longitudinem egreditur, cum tamen tantam longitudinem non habeat in corpore, multo minus ubi istud in egressu duplicatur.

## THES. IV.

*Vterus ipse  
an eo usque  
prolabi pos-  
sit, ut pu-  
tendum e-  
grediatur?*

Quamuis itaque absolutae necessitatis non sit, ut uterus una cum uagina elapsa extra abdomen semper excidat, ac praeterea inficiens- dum non sit, ipsam uaginam inuersam et tumidam, aut tumores praeternaturales in eadem natos, uti inferius uidebimus, quandoque foeminis, obstetricibus, imo Medicis ipsis imposuisse, ut uterum ipsum elapsum esse crediderint, neutiquam tamen propterea statuendum, uterum plane non posse prolabi, uti fecerunt *Kerckringius, Roonbusius, Meckeranus*, aliique, qui singularibus quibusdam obseruationibus adducti, prolapsum uteri uerum dari, negant, omnesque rident, qui uterum unquam extra corpus prolapsum esse sibi persuadeant. Hoc quidem uerosimile est, non omnes uteri procidentias, ab antiquis atque recentioribus Medicis obseruatas, tales fuisse. Fabulis etiam merito annumerandum esse iudicat *a Meckeren in Obseru. Anat. Med.* quae de uteri extirpatione agentes, *Auensoar L. 2. C. 2. Anton. Beniuen. de Abdit. Morbor. Caus. C. II. VVierius, Zacut. Lusitan. Felix Plater.* aliique retulerunt, mulieres nem-

pe,



pe, quibus uterus corruptus abscissus, non solum superstites mansisse, sed et liberos procreasse. At si quis ideo cum praedictis Auctoribus omnem proptofin uteri, a scriptoribus fide dignis annotatam, falsam, fictitiam et imaginariam dicere uellet, iniurius certe in hos foret. Instructus omnino est uterus ligamentis sat ualidis, duplicis generis, nimirum teretibus atque latis, quibus idem sustentatur ac firmatur, ut tanto oneri, grauiditatis tempore gestando, sufficere queat. Praestant id inprimis ligamenta lata, quae inter peluis latera atque uterum uaginamque interiecta, a reliqua parte, tubam inter atque testem intercedente, ob similitudinem alae uespertilionum uocata, probe distinguenda esse, accurate monet *Clariss. Morgagn. Aduers. Anat. IV. Animad. XXVII. p. 49.* utpote quae peluis lateribus firmiter commissa, ligamenti uteri lati et officium et nomen seruare debent, cum alae uespertilionum tubae potius ligamenta appellandae sint. Sed quis propterea cum *Kerckringio* uterum semper immobiliter loco suo consistentem pronunciare uellet? Recte igitur *Pechlin. l. c. iam si quis retinentium ligamentorum uim impedire credat, quo minus uterus prolabi possit, sciat oportet, eandem quoque causam in uaginae lapsu adduci posse. Quid enim? Annon suis perinde ligamentis, usque satis firmis, uagina*

gina necditur ossibusque incuneatur? At uero, annon ligamentis ille solutioribus adnectitur? Annon mobile etiam est ipsum uteri corpus, et ad lapsum procliuius, imprimis si uis accedat, qua inconditae obstetrices per parturientium uiscera grassantur? Ego sane, quoties faciem naturalem, uteri et uaginae attentius rimor, non uideo, quid prohibeat, quo minus uterus descendere ex parte uel totus possit.

THES. V.

Vteri prolapsus uerus exemplis singularibus confirmatur.

Quandoquidem autem experientia una rite instituta plus ualeat, quam mille rationes, et supra dicti uiri obseruationibus suis, utut singularibus, confisi et nixi, omnem fidem hac in re ueteribus scriptoribus denegarunt, non immerito recentiores sectionibus in eiusmodi subiectis, prolapsu laborantibus, post mortem institutis, curiosius eam in rem inquisiuerunt, pluriusque exemplis demonstrarunt, uterum non tantum extra corpus cum uagina inuersa prolabi posse, sed etiam re ipsa elapsum in cadaueribus inuentum fuisse. Non memorabo nunc *Diembrockium*, *Regnerum de Graaf*, *Corn. Stalpart van der VViel*, *Peyerum* aliosque, qui statim se isti opinioni opposuerunt, atque exemplis, tum ab aliis, tum ab ipsis obseruatis, procidentiam ipsius uteri demonstrarunt. Adducam saltem unam uel alteram Auctorum recentissimorum, adhuc uiuen-

uiuentium, obseruationem, quibus non tantum  
 uteri prolapsus, sed etiam totalis simul eius in-  
 uersio confirmatur. Instar omnium esse possunt  
 casus, a *Celeberrimo Ruyschio in Obseru. Anat. Chi-  
 rurg. VII. IX. X.* consignati, utpote qui omnem  
 animo nostro scrupulum eximere possunt. Ra-  
 rissima inprimis est *Obseruatio* l. qua refert, et tu-  
 more uteri prolapsi quadraginta et duos calcu-  
 los in octogenaria sectione extractos esse, qui  
 sedem suam in portione aliqua uesicae urinariae  
 simul prolapsae habuerunt. Ibidem quoque  
*Obseru. XXIV. XXV.* mentionem facit lateralis  
 tantum uteri portionis, itemque orificii ipsius in-  
 terni in partu prolapsus, a se obseruati. Contingit  
 praeterea, uti *Idem obs. X. et XXVI.* annotat et  
 fig. 12. delineat, ut uterus in aut mox post partum  
 totaliter inuertatur, cui malo obstetrices imperi-  
 tae, funiculum umbilicalem fortius extrahendo,  
 occasionem praebent, quandoque tamen illud a  
 conatibus post partum remanentibus ortum du-  
 cit. Plura huius inuersionis uteri totalis in partu  
 exempla uidere licet in *Stalpart van der VViel  
 Obseru. Rarior. Cent. 1. Obs. LXVII.* Hoc tamen  
 extra partum, a tumoribus intus in cavitae uteri  
 natis oriri posse, nouo eoque singulari exemplo  
 probauit *Clariss. von Sanden, Obseruatione de pro-  
 lapsu uteri inuersi ab excrescentia carneo fungo-  
 sa, in fundo eius interno, ex potu crepitus lupi ena-*

ta, communicata. Sectio enim post mortem instituta monstravit, tumorem e pudendo istius foeminae propendentem ipsum uterum, ab excrescentia e fundo eius latiori radice enata, ac successiue crescente, ob spatii defectum per orificium exitum quaerente, tandemque foras erumpente, inuersum et extra corpus extractum fuisse, uti ex Fig. II. ibidem apposita clare ad oculum patet.

## THES. VI.

*Tumores  
alii e uagina  
enati, uteri  
procedenti-  
am menti-  
entes.*

Sed nunc annotandum est, ex ipsa uaginae superficie interna oriri excrescentias tales carneo fungosas et scirrhosas, quae in tantam molem auctae, ut spatium interius non inueniant, e pudendo prorumpunt, utrumque prolapsum mentiuntur. Eiusmodi fungos in uagina adhuc absconditos, oui gallinacei ac pugni magnitudine ex illa exsectos memorat *Tulpius Obseru. Med. L. III. Cap. XXXIII. et XXXIV.* Fungum pariter cancriformem ex interiori matricis coli parte ligatura separatam recenset *Stalpart. vander VViel l. c. Obs. LXXXVII.* Excrescentiam cancriformem, duorum pugnorum magnitudine extra finem pudoris propendentem, et ab ipso aliisque Medicis et Chirurgis pro utero inuerso et prolapso habitam, describit etiam *Seegerus Obs. 121. Misc. Cur. A. 1671.* quae tamen, uti sectio post obitum foeminae instituta monstravit, nihil aliud

aliud fuit, quam excrescentia fungosa, ex uteri collo, et huius antica parte, prope Vesicae orificium, enata. Ita etiam *lobus a Meckeren in Obseru. Anat. Medicis* pro confirmanda sua sententia, qua, uti supra uidimus, uterum omnino elabi posse negat ac pernegat, praeter aliorum obseruationes, refert integram historiam Sarcomatis insignis magnitudinis, gangraena iam correpti, praecua ligatura colli angustioris resecti. Complures Medici atque Chirurghi praesentes illud uterum prolapsum crediderunt. Muliere autem paulo post denata, sectio cadaueris patefecit, non uterum ipsum prolapsum et abscissum fuisse, utpote qui bene constitutus in loco naturali inuentus est, ligamentum uero intus relictum monstrauit, tumorem ablatum nil aliud, quam tunicae rugosae, uaginatam praeter alia constituentis, portionem, laxitatis nimiae culpa, extra pudendum elapsam fuisse. Hae similesque historiae fatis superque euincunt, excrescentias tales carneo fungosas, e pudendo propendentes, haud raro imposuisse non tantum foeminae, sed ipsis quoque Medicis atque Chirurgis, ut tales uterum prolapsum esse, sibi persuaserint.

## THES. VII.

Filo in praesenti ducimur ad quaestionem illam, quid de resectione uteri prolapsi, ab Autoribus adeo frequenter commemorata, sentiendum

*Uterus prolapsus an sine uita resecari possit?*

endum fit? Integrum Catalogum Scriptorum recenset *Meckeren loc. cit.* qui uterum salua vita non tantum auferri posse, sed etiam ablatum esse, memoriae prodiderunt. Hos inter *Plempius Anat. Cabrol. c. 34.* scripsit, uterum prolapsum incuria quadam putrefactum extirpari sine incommodo, sic, ut eo ablato etiam concipere queat mulier. *Fernelius* uidisse se refert parturientem quandam, cui uterus cum foetu incluso, sine ullo uitae dispendio ablatu sit. *Plinius et Soranus* uterum muliebrem auferri sine uitae periculo posse, exemplo porcorum, probare nituntur, et *Laurent. L. VII. de part. Gener. C. II.* omnia bona promisit mulieri, cui uterus ablatu sit, uti uidere est in *Bonet. Sepulcr. L. III. Sect. XXXII. Addit. obs. VI. p. 41.* Ibidem etiam *Obs. I. ex Jo. Georg. Volckameri* relatione recensetur historia uteri proci- dentis ex uirgine resecti, cui antea iam testes, per hymenem propendentes, ablati fuere, eodem ob- seruante in *Miscell. Curios. A. II. Obs. CCXXVI. p. 328.* Nullum tamen hic suppeditaui signum certum, unde iudicari possit, tubercula ablata re ipsa fuisse ouaria atque uterum, nisi quod dicat, priora calidae aquae iniecta, testiculos uasis suis annexos praesentasse, ultimum uero formam uteri nondum defloratae rerulisse, sed ca- uitate destitutum fuisse. Maioris momenti ui- detur esse obseruatio *Paraei de Hom. gener. L. XIV.*  
qua

qua docet, mulieri tumorem corruptum e pudendo frustatim extractum fuisse, quod ipsi et quatuor Medicis praesentibus corpus uteri uisum fuit, cuius rei fidem fecit non tantum unus ex testiculis postea, ipso referente, extractus, sed etiam sectio foeminae post trimestre pleuritide extinctae, quia nusquam comparuit uterus, sed eius loco callosum quoddam corpus, quod natura, uti ille loquitur, quae nunquam in nobis otatur, iacturam eius partis quasi reparatura, uel lacunam potius alui repletura, substituerat. Annon uero corpus istud callosum fuerit ipse uterus, ab abscessu diuturno in generalibus existente deformatus, sub iudice lis est. Verbo: Pleuraeque historiae de utero exfecto apud Auctores occurrentes ita sunt comparatae, ut dubium sit, an uterus, aut eius loco excrescentia quaedam fungosa et carnea abscissa fuerit. Vnicum tamen exemplum in fine tractatus supra laudati *Sandenii*, ex prolusione, *dissertationi Inaugurali de foemina grauida, lapsu uaginae uteri laborante* ab eius Praefide, *D. Ioh. Hadriano Sleuogtio* praemissa, adiectum confirmat, impossibile non esse, ut uterus prolapsus et corruptus salua uita resecari possit. Ipse enim testatur, se in massa, a pudendo muliebri resecta, quinque libras pendente, praeter opinionem, ipsissimum os uteri, cruore uiscido obturatum, reliquumque huius corpus, cum fundo integro et reliquiis tubarum, quasi in theca coriacea, prope iniectum uinculum, abscissa, reconditum offendisse. Imo ut ea clarius

D

dignosci

dignosci possent, uterum ab orificio ad fundum, secundum longitudinem aperuit, et cavitatem eius ac crassitiem, statui naturali prorsus similem, detexit, tubisque setas nigras inseruit, atque sic Excellentissimis Academiae Ienensis Professoribus, plerisque Urbis istius Doctoribus Medicis Practicis, atque centum studiosis demonstravit, ut adeo de eo nullus dubitandi locus superfit.

THESES VIII.

*Sarcoma nostrum an uterum simul existum contineat?*

**H**is itaque ad illustrationem nostri casus praemis-  
sis, accedendum tandem est ad Sarcoma in praesenti a nobis luci expositum, ut pateat, quae sit eius natura atque origo, et ad quodnam genus tumorum in pudendo natorum, haecenus enumeratorum, idem sit referendum. Optimam quidem huic rei lucem accendet aliquando foeminae huius obitus et corporis defunctae apertio, qua locus, unde resectio facta, detegi poterit; uitam tamen et sanitatem, qua haecenus utitur, ipsi nullatenus invidentes, interea periculum faciemus, quid quantumque in negotio hoc admodum obscuro, considerando circumstantias antecedentes, concomitantes et consequentes, praestare liceat. Equidem ex praecedente thesi constat, uterum prolapsum aliquando, utut forte rarissime, salva uita resectum fuisse. Tumor praeterea in nostra, post abscissionem portiois eiusdem prominentis a muliere peractam, uno impetu inter conatus, parturientium similes, foras prorumpens, magnam suspicionem excitavit, uterum per aperturam, sectione

ne



ne hac in uagina factam, simul excidisse. Repletio et occlusio finis pudoris, a uagina ad inferiora tracta, ob quam digitis, circa tumoris collum ductis, intra pudendum nullibi penetrare licebat, suspicionem illam auxit. Corpus tandem musculosum, in sarcomate ablato apparens, ac figura externa pariter ac structura interna carnosa, cum intermixtis orificiis numerosissimis uasorum sanguiferorum, uteri speciem prae se ferens, sententiam istam penitus confirmare uisa est. Quoniam tamen nec intus cauitatem in hoc corpore inuenire, nec extus quicquam de ouariis et oviductibus ligamentisque detegere licuit, illud uterum, sectione ex muliere sublatum ego non dixerim. Retractio enim totalis uaginae ad interiora, ac fluxus mensium post illud tempus naturalis et regularis insecutus, satis superque edocent, uterum in corpore remansisse, et originem huius tumoris aliunde deriuandam esse.

## THES. IX.

**R**ebus sic stantibus, aliud iudicium de nostro Sarcomate ferre non possumus, quam quod illud sit excrementa quaedam carnosa et scirrhusa ex uaginae ipsius substantia, parteque superiori, utero proxima, enata. Idque penitus suadet pars illa mollior rugosa et lobosa, corpus musculosum sustinens, quam uaginae portionem esse, inspectio docet. Saltem corpus illud musculosum, figuram et texturam internam uteri exhibens, difficultatem creat, unde illud originem trahat. Notum autem est, ua-

*Quale illud sit? et ad quodnam genus tumorum enumerationem sit referendum?*

ginae uteri substantiam intus quidem membranofam, nerueam atque papillarem esse, rugasque copiosas instar rugarum intestini ieiuni, exhibere, ac ubiuis lacunas, uti circa urethram et uteri praeprimis ceruicem, ita per totam superficiem monstrare, quae cum glandulis substratis communicantes liquidum mucosum fecernunt. Exterius uero musculofus contextus uaginam ambit, ac copiosissimis uasorum cum utero partibusque adiacentibus communibus ramificationibus, multiplici anastomosi inter se iunctis, ac substantiam uaginae perreptantibus, gaudet. Quid itaque mirum in textura ista musculofa glandulis atque uasculis intertexta, ab humoribus impuris ac uiscidis, intus stagnantibus, obstructiones et indurationes harum partium fieri, unde omnia sarcomata, aut excrescentiae carneo fungosae, et scirrhi, aut quocumque demum nomine ueniant, tumores oriuntur. Faciunt huc iniuriae uariae, quibus uagina, aequae ac uterus ipse, ante, in, et post partum obnoxia est, fluxus mensium et lochiorum inordinatus, retentus, aut inconuenienter suppressus, uel etiam nimius. Humores quippe largius ad genitalia confluentes, atque transitum aut egressum per tubulos obstructos non inuenientes, inter plexus uasorum atque glandularum restagnant, sensim inspissantur, partes circumiacentes distendunt, atque ita excrescentias illas, fungorum more protuberantes, efformant.

## THES. X.

**P**raeesserunt autem in nostra partus iterati, subinde laboriosi, quibus uagina cum utero ualde extensa, tonusque eius maxime relaxatus fuit. Foemina egestate coacta, nec tempore grauiditatis, nec post partum diaetam conuenientem obseruauit, in nulla re sibi pepercit, labores durissimos suscepit, pondera gestauit, mox a partu e lecto surrexit, corpus aeri frigido exposuit, fluxusque lochiorum nullam curam habuit. Quae autem et quanta mala inde in grauidas atque puerperas redundare soleant, notius est, quam ut a me hic exponi opus habeat. Insecuta post illud tempus haemorrhagia diuturna atque enormis sufficienter testatur de uteri partiumque connexarum graui laesione, sanguinisque in iisdem circuitu difficili atque stagnatione, unde tanto impetu tantaque quantitate idem per uias genitales erupit. Fluxum hunc illa neglexit, ac praeter domestica remedia, nihil eidem opposuit, potius motu inconuenienti, eleuatione ponderum, refrigeratione, aliisque diaetae erroribus illum auxit. Nec ullum est dubium, illam ad haemorrhagiam coerendam et restringendam, inter remedia domestica adstringentibus et stypticis usam esse, pro more uulgi, qui ad talia, tanquam sacram anchoram, confugere solet. Neminem uero latet, quot et quanta ex in tempestiue suppressa haemorrhagia mala oriantur. Per eiusmodi enim austeram, constringentiam ac styptica medicamenta sanguis et alii humores intra uasa

*Causae antecedentes ponderantur.*

distenta stagnantes subito coagulantur et inspissantur, unde in aliis inflammationes, abscessus et exulcerationes, in aliis tumores duri ac scirrhescentiae partium internarum haud raro originem trahunt. Ipsa Sarcomata et excrescentias carneo fungosas in partibus genitalibus ortum inde repetere, probat exemplum *Sandenii* supra memoratum. Foemina illa infuso crepitu lupi, contra abortus frequentes et haemorrhagias uteri usurpato, excrescentiae isti carneo fungosae, in uteri cavitae ex eius fundo enatae, occasionem dedit, a qua uterus inuersus foras propulsus fuit, et insecuta exulceratio et sphacelatio febrisque coniuncta uitae finem fecit.

## THES. XI.

*Circum-*  
*stantiae sin-*  
*gulares ca-*  
*sus nostri*  
*consideran-*  
*tur.*

**A**d nostrum ut reuertamur casum, notatu dignissima inprimis in eo est circumstantia, in historia annotata, tumorem hunc prius e uagina exitum non inuenisse, quam resecta prius a foemina parte eius protuberante. Hoc ipso quippe idem quodammodo detumuit, uiamque faciliorem prorumpendi inuenit. Hoc uero mirum, ne minimam inde secutam fuisse haemorrhagiam, quod tamen nulli alii rei, quam scirrhescentiae et sphacelationi tumoris relatum ferri debet. Haemorrhagiam uero a sectione metuendam impediuit ligatura iniecta, utut hac forte opus non fuisset, quia collum tumoris albicans et quasi tendineum nulla insigniora uasa monstrauit, ac uix gutta una sanguinis ex eodem stillauit. A resectione etiam sarcomatis, quod  
prae-

praesente et dirigente *Sleuogtio*, e foemina sublatum esse, ipsumque uterum simul abscissum, illo teste, comprehendisse, supra notauimus, nulla haemorrhagia secuta est, quamuis pars ligata, simul ac a pondere trahente liberata fuit uinculo, quo collum eius ante sectionem ualide ligauerat Chirurgus, statim se subtraxerit et ad interiora resiliuerit, non sine terrore Chirurghi, haemorrhagiam aegre restinguendam metuentis, cum tamen uix duae unciae cruoris effluerint, mox sero tenui eum excipiente. Ligamentum istud in nostra foemina omnium subsequen-  
tium symptomatum, tractionis et pressionis in abdomine, tumoris oedematosi, haemorrhagiarum uteri, aliorumque incommodorum causa existit, quia, illo lenta suppuratione post dimidium demum annum separato, omnia illa accidentia statim euanuerunt. Nihilo tamen fecius securitatis gratia ligatura merito applicata fuit, ac in casibus similibus non facile negligi debet. Caute tamen cum ista procedendum esse, docet casus *Segei* supra relatus, ubi in excrescentia tali fungosa, statim a ligatura grauissima symptomata secuta sunt, quae uero uinculo sublato cessarunt. Cauendum etiam sedulo, ne partes adiacentes uinculo comprehendantur, quod contigisse refert celebratus *Ruyfchius Obs. VII.* in foemina, in qua Chirurgus, uterum prolapsum et corruptum extirpaturus, meatum urinarium simul ligauit, unde aegra, suppressione urinae totali correpta, occubuit.


## THES. XII.

*Conclusio.*

**E**x praesenti tractatione, obseruationibusque in ea recensitis, ni fallor, patescit, in similibus casibus nihil quidem temere agendum, in statu uero dubio atque ancipiti interdum aliquid cum prudentia tentandum esse. Quilibet enim uidet, foeminam hanc e praesentaneo uitae periculo, ob sphacelationem tumoris propendentis, mortisque e faucibus per operationem institutam ereptam fuisse.

De hoc tamen plura ut addam, opus non esse iudico.

FINIS.



94 A 7368

ULB Halle  
002 928 582

3



10 17









DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA  
OVA  
CASVS OPPIDO RARVS  
**SARCOMATIS**  
E PVDENDO MVLIBRI SECTIONE SVBLATI  
**HISTORIAM**  
CONTINENS  
PRAESIDE  
**ABRAHAMO VATERO**  
PHIL. ET MED. DOCT. ET PROF. PVBL.  
ANAT. ET BOTAN. SVSTITVT. VT ET SOCIET.  
IMPER. NAT. CVR. ET REG. BRITANN.  
SODALI  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
MORE MAIORVM OBTINENDO  
D. MART. M DCC XXVIII.  
H. L. Q. C.  
AD DISCEPTANDVM EXPONITVR  
**IOH. DANIELE BEHRENSIO**  
TORGAVIENSI  
MEDIC. PRACT.

FOR ALMA SVOS ORNAT HYGEA